



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De Reformatione monasteriorum 138

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

ullo pacto consentient, &c. sine vlla rationabilium causarum subiectione.

Ad hoc responderetur, Sacerdotes vnà cum principalibus veteris populi Israëlitici, sæpenumero cum toto populo veris Prophetis, qui eos ad piam reformationem hortabantur, simile responsum dederunt. Nō parebimus. Hoc graue nobis foret. Hoc non esset è re nostra. Ad eundem Clericatus in Syria, in Græcia, in Hungaria, & aliis compluribus nationibus, quando Christiana Reformatio ab eo postulata fuit, tamdiu respondit, donec ignis furoris & ultionis diuinæ omnes ad vnum deuorauerit. Idem iudicium nostris quoque ceruicibus impendet. Dominus det vt tempus visitationis nostræ rectè agnoscamus, antequam diuturna ac benè promerita ira Dei in nos exardescat. Amen.

### Tricesimasexta Accusatio.

#### *De Reformatione monasteriorum.*

#### C A P. CXXXVIII.

**S**V B hoc titulo taxant Aduersarij id quod in Libro positum est, nos velle, vt qui in monasteriis fuerint reperti idonei ad subeundam curam animarum, ad eam ordinentur, vt que qui in monasteria assumuntur, polliceantur se velle sponte acquiescere, si quando ad Ecclesiarum aut alia ministeria necessaria & Christiana (hoc vocabulum Christiana, omiserunt Aduersarij in citatione horum verborum) requirantur.

At non ignorant Aduersarij, id antiquis Canonibus consentire, & à Patribus obseruatum fuisse. Etenim ex nullo genere hominum frequentius Ecclesiæ ministros desumpserunt, quàm ex Monasteriis.

At scribunt ad hoc opus fore magna discretionem. Et adferunt ex quibusdam Conciliis nullum monachum ad Ecclesiæ ministerium ordinandum esse, qui vltro monasterium suum deserit, sed illos tantum ad hoc assumendos, qui voluntatem & consensum Abbatis sui habent.

Quod verum est. At quæ est causa istius ordinationis? Certè nulla alia quàm hæc, vt tantò probatiores magisque idonei ministri Ecclesiis præfici possint. Iam verò Monasteria iamdudum ab antiqua verè monastica viuendi ratione tam longè recesserunt, tamque multis & superstitiosis ac falsis cultibus conspurcata sunt, vt nemo Christianorum pia mente præditus in eiusmodi monastica vita, qualis nostris temporibus ac monasteriis est, tranquilla conscientia viuere possit: adeò vt deserere Monasteria in plurimis sit argumentum veræ pietatis & cognitionis

Iesu

Iesu Christi, non dissolutionis. Plurimi etiam Abbates tanta imperitia vite & actionum diuinarum laborant, vt veris Ecclesiis Christi non sit licitum ipsorum testimonia consensumque in ordinatione ad ministerium Ecclesiasticum recipere, taceo, multum de eis querere.

Quamobrem cum in eum abusum Monasteria prolapsa sint, certè nihil aliud à nobis requiritur in tanta dissipatione, dissolutione & peruersione monastica vitæ, sicut etiam, proh dolor! totius Clericatus, quam vt vndeunque possumus, tam ex monasteriis quam aliunde vbiunque reperiri queunt, colligamus, & ad ministerium Ecclesiæ ordinemus, quicumque ad id idonei iudicantur. In eo enim summa rerum posita est, vt Ecclesiæ per verè Christianos & idoneos ministros administrantur, quorum hoc tempore horrenda inopia est: cui certè quàm citissimè optimèque fieri potest, subueniri debet.

Subnectunt Aduersarij hoc loco Monachos qui ad Ecclesiæ ministerium ordinantur, non debere à priori proposito recedere.

Quod eò referunt, vt eiusmodi Monachi nihilominus priora vota sua obseruent. Quod verum est, quatenus ea piè & ad prouectum ministerij Ecclesiastici obseruari possunt. Verum de votis Monasticis proprium articulum qui proximè sequitur, posuerunt, in quo latius ad obiectionem istam à nobis respondebitur.

### De votis Monasticis.

*Quo fucoco contentur Aduersarij Monasticis votis patrocinari.*

#### CAP. CXXXIX.



ONANTVR Aduersarij & scripturis & autoritate S. Patrum tueri, imò ex S. Scripturis se probasse prædicant, vota quæ substantialia vocant, vt castitatis seu cœlibatus, obedientiæ item & paupertatis voluntariæ, hoc est abdicationis omnis proprii, traditionisque omnium priorum temporalium bonorum in manus Præpositorum in monasteriis.

Primum igitur videamus, quibus Scripturis, & quàm firmiter ea comprobant: Deinde causas assignemus, propter quas proposuimus ea abrogare.

*Quo fucoco contentur Aduersarij Monastica vota probare.*

SCRIBUNT Dominum dixisse, Matth. 19. Sunt Eunuchi qui seipfos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Item ad diuitem iuuenem, Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in regno cœlorum, & veniens sequere me. Quare castitatem, paupertatem & obedientiam vouere rem esse diuinam.

Hic perpende quæso, Christiane Lector, qualis ista connexio sit, Dominus dixit, sunt quidam Eunuchi, qui à coniugio abstinent propter